AD CARDINALITIAM.

QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS EXAGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS Medicorum die Iouis 5. Martij clarissimo viro D. M. Ioanne Groust doctore Medico, moderatore prudentissimo.

An medicamentorum facultas dicata partibus manifesta?

FAcultas medicamentorum, quæ humani corporis temperiem & consistentiam immutat, non actione tantùm & experientia dignoscitur, sed etiam ratione, quæ facultatis eius principia temperamentum, & materiam, in singulis medicamentis diiudicat ministerio sensuum: ex ijs non satis fidus odoratus, visus autem incertissimus, alioqui coloris iudex idoneus & characteris, quo nulla medicamentorum natura ostēditur; Temperiem in actu tactus acuratè discernit, huius vicem subit gustus, quo sapor, ex sapore temperamenti in futuro qualitas, & quantitas definitur: distincta quoq; à temperamento consistentia fideliter exploratur.

POrro consistentia ex mole ac corpore elementorum conflata, tenuis vel crassa est: ignea in acribus, & aromaticis: aëria in pinguibus, lentis, dulcibus. Terrena in amaris, salsis, adstringentibus: aquea in acidis, & insipidis: vnde præter eas, quæ à solo temperamento prodeunt, innumeræ facultates medicamentorum ortæ intelliguntur: A tenui consistentia, attenuans, incidens: ab eadem sed terrestri, detergens: ab aëria vel aquosa tenuitate, molliens, laxans, quibus opponuntur incrassans, emplastica, indurans, adstringēs, ac huius maximè quidem frigida temperies est, crassa verò & terrestris materia.

AB ysdem nascuntur principijs, & ijsdem patent indicijs, facultates dicatæ partibus, ipsarumq; partium proprijs affectibus, actionibus, symptomatis. Cephalicæ, epilepticæ, in alces & asinæ vngulis æquales, artheriacæ, bechicæ, pleuriticæ in diacodio non minores, quàm in rubri papaueris puluere, aut syrupo; hepaticæ, in hepate lupi non valdè insignes, stomachicæ in mergi & gallinæ stomacho fallaces, Cardiacæ in margaritis, & lapide bezoar non eximiæ, splenitice, nephriticæ, diureticæ, vreticæ, eædem ac lithomtrypticæ: hæ speciosæ titulo, effectu prorsus inanes, hystericæ, ad quas abortiua pertinent, φθόρια nunquam præscribenda grauidis etiam periclitantibus, nisi enitentis fœtus, aut emortui certissima sint argumenta.

HArum facultatum non vna simplexq; natura est, sed ex diuersis plerunq; contrarijs principijs composita, vt partium tenuitate incidant, attenuent, detergeant, humorem crassum, viscidum, frigidamq; intemperiem æquali caloris gradu corrigant, vel contrà pro varietate morborum quibus pars vnaquæq; obnoxia est, simulq; ad partium affectarum naturam, sensum, situm, figuram probè comparata, earum tonum tueantur, non exoluant, & relaxent quin potiùs firment, & roborent adstringendo, in quo particularium remediorum laus præcipua consistit, eorum præsertim, quæ necessarijs & nobilioribus organis addicuntur.

medicamentorum facultas dicata partibus de semper astringens est, quâ quidem illarum tonus firmatur et roboratur astringendo, sed partium productione facta per illa omnia medic^ta quæ singulis partibus dicata creduntur.

VNde stœchas capiti, & pæoniæ radix sacro eius morbo consecrata leuiter adstringit, subamara, glycyrrhiza pulmonis & arteriæ asperitates lenit cum adstrictione, radix centaurij magni bechica, gustui acris, simul adstringens apparet: Tormentillæ, scabiosæ, grani infectorij, hypocysthidis siccitas non mordax: scordij, melissæ, rosarum, cardui amaritudo modicè detergens, adstrictionis comes, cardiaca, cuius naturæ expertes aquæ omnes stillatitiæ, cardialgicæ, cortex capparis spleniticus, acris, & acerbus, vuæ passæ & nostrates iecoris deliciæ, subausteræ, hepatis anima rheum linguā contrahit, spica nardi & aloë stomachica stypticaque est: Renes iuuat & roborat terebinthina, non abietina resina, quæ in officinis pro terebinthina falsò vænit, ladanum resoluens molliens, concoquens, vteri tumoribus peculiariter conuenit, quandoquidem paululum adstrictionis obtinet.

Ergo medicamentorum facultas dicata partibus manifesta.

Proponebat Nicolaus Pietre Parisinus anno domini. 1598.

